


FRANCISCI BALDUINI
CONSILIUM
DE NOVA
JURIS CIVILIS DEMONSTRATIONE,
SINGULARUMQUE EJUS
PARTIUM CONSIDERATIONE.

RGENT.
quippam soleo
sce studis scholae
rerum civilium,
non solum bono
m, sed in eam
illa colligunt
strari illa debet
tempore in scho
lo sedens talen
teris, & rerum
quidem me
repereret: &
m, sed & jus
geret, quam
agnosceret,
ade quoque
difficile esse
confici pos
ut interdum
offim, cupiam
cum studiosis
reperiri, non
enim tantum
aggredien
duntate.
villime potius
& scholis ser
quidem Vobis
tam bene spe
e meum, cum
erit: & meum
bene precor
blica Christi
inscipimus
FRAN

FRANCISCI BALDWINI
CONSILIUM
DE RE
IURIS CIVILIS DEMONSTRATIONE
SINGULARIUM IURIS
PARTIUM CONSIDERATIONE



SEBAST
FRAN



mihi narrares
singulari tuo
terras, purio
tam facile int
tud tuum ing
nis plurimum
i spem, anim
que in hoc gen
Tibi non ingr
nem ad Te br



CLARISSIMO VIRO


D.

SEBASTIANO LAUBESPINIO

LEGATO REGIO

FRANCIS. BALDUINUS

SALUTEM.

ùm hìc nuper quorundam doctissimorum hominum & studia, & illustrandi Juris Civilis consilia mihi narrares, quibus ego valde favere Te pro singulari tuo non erga illos modò viros, sed & literas, puriorémque jurisprudentiam amore, tam facilè intelligebam, quàm nobilissimum istud tuum ingenium rebus & optimis, & maximis plurimum delectari certò scio: timido mihi spem, animúmque addidisti, ut nostri quoque in hoc genere consilii, atque instituti, quod Tibi non ingratum fore existimarem, rationem ad Te breviter perscribere & cogitarem,

R

&

& vellem: non modò, ut intelligas, si quid nobis à publicis prælectionibus otii superest (superest autem non multum) non esse omnino id otiosum: sed etiam, ut tuum, quo nihil est mihi antiquius, judicium explorare, atque elicere verecundè possim.

Qui juvare volunt studia multorum (velle autem debent, quicumque possunt) aut scribendo id efficiant, necesse est, aut certè docendo. Utramque ego viam ab initio ætatis ingressus, SEBASTIANE clarissime! magis id profectò, quod vellem, quàm possem (neque enim pares voluntati vires erant) sed bono tamen animo ingressus, ut æqualibus saltem meis prodesse possem, operam dedi. Scribendi munus hoc grave, & laboriosum, cum multa, quæ me deterrerent, essent, nihil, quod alliceret, nescio, quo susceperim fato: nam ambitione nullâ commotum esse me scio. Ad docendum publicè accitus, si cui eo in genere opera esse mea utilis posset, non recusavi, Te auctore, docendi quoque laborem subire. Alterum si suscepissem, in quo me exercerem, satis habiturus eram negotii. Utrumque suscepisse, cum per ætatem vix alteri par esse possem, inconsideratè factum esse videtur. Sed utroque tamen in genere, ne aut officium, si quod in me sit, aut obsequium frustra meum desideraretur: experiundo malui ingenuè patefacere me, quàm dissimulando ambitiosè fingere, magis, quòd ea
 natura

natura esset mea, hoc ingenium, quàm ignorarem, ut nunc sunt mores, astutæ dissimulationis, quàm liberalis ingenuitatis conditionem esse plerumque meliorem.

Studia Juris Civilis primùm ut amplecterer, fecit prima pueritiæ meæ informatio: ut paulò major etiam factus persequerer, cogitatio humanæ societatis, & hujus civilis vitæ, atque consuetudinis, cujus certè si finis est, esse qui debet, vehementer bonorum ingeniorum studia commovere & debet, & potest. Convenerunt hominum cœtus, & conditæ civitates sunt, ut honestæ politiæ instituerentur, quæ religionis, atque pietatis essent in terris quædam veluti domicilia, & omnium virtutum scholæ. Has verò politias non aliâ posse ratione vel constitui, vel contineri, vel conservari, quàm & magnâ, singularique prudentiâ, & honestarum legum vinculo, satis notum est.

Leges in hoc genere meliores non esse, nec esse posse, quàm Romanorum: Jurisprudentiam nullam esse perfectiorem, omnes quoque & sciunt, & fatentur. Sed de ejus perdiscendæ ratione non ita convenit inter omnes. Alia aliis placet. Ego, quam esse optimam existimem, & persequi velim, breviter dicam.

Jurisprudentia Romana partim moralis est, partim historica. Theses suas illa habet, hæc hypotheses. Utramque ut prudenter con-

sideremus, necesse esse existimo. Illam majori ex parte JUSTINIANUS elegantissimè complexus esse videtur libris quatuor Institutionum. In iis ego explicandis, atque illustrandis multum operæ posuisse me non dissimulo, Præceptorum meorum studio adjutum: non enim profiteor esse ΑΤΤΟΜΑΘΗ (*). Sed annotationem hujus generis secunda editio, quam nunc paro, & uberior erit, & prioris, ut spero, illius farginis vitia emendabit: quæque in eâ mihi ferè adhuc puerò, meisque fortasse Præceptoribus nimium addicto, temerè exciderunt, sarciet. Cæterùm alteram Juris Civilis demonstrationem conjungi, quam potissimum velim, dicendum nunc est.

ARISTOTELES optimus ille magister methodi sæpe nobis commendat ἀνάλωσι (**). Sic opinor, vocat singularum, simpliciumque partium enarrationem, & cum suarum circumstantiarum demonstratione explicationem. Eam ego quoque Juris Civilis studiis convenire existimo. Nimis enim inepti sunt, qui Romanam Jurisprudentiam non aliter accipiunt, quàm si uno die condita esset tota, & veluti ab otiosis hominibus conficta. Atqui annos habet plus, quàm mille, & trecentos (tot enim numerantur à ROMULO usque ad JUSTINIANUM) auctores, scriptorésque habet propè infinitos. Non habet unam aliquam
cer-

(*) Eum qui ex se ipso didicit.

(**) Analysis.

certam, perpetuamque faciem; sed pro ratione temporum, pro ingenii auctorum variam plerumque formam induit. Quid multis? ut rota fere est hypothetica, ex suis hujus generis circumstantiis magnam ex parte pendet. Eas ordine considerare nihil esse suavius facile intelligis, doctissime SEBASTIANE! sed recte demonstrare nihil esse difficilius existimo: mihi praesertim, hoc est, homini quam mediocri ingenii, tenuisque doctrinae, tam otii certe nullius, ad res tantas, & consequendas, & patefaciendas. Quid tamen in hoc genere moliar, atque instituum, ut universi Juris, singularumque ejus partium & fontes, & ordinem, & causas, & usum patefaciam, dicere non erubescam, ut hac significatione, quasi emissario quodam & tuam sententiam, & multorum tui similium prudentissimorum hominum elicere judicia possim, quibus institutum hoc meum regam; fortassis & subsidia, quibus promoveam.

Libris viginti rem totam concludere, & in eos tanquam in certas quasdam stationes ordine distribuere instituo. Priores duos, ROMULI, aliorumque Regum Romanorum legibus, ipsisque deinde XII. Tabulis tribuo, quos ut nunc ederem, nondum licet perpolitos satis, darumque in vulgus, multa me impulerunt. De iis itaque nihil praeterea dicam, sed eorum lectorem, si quis sit, Censoremve rogabo, ut meminerit, quod veteri fertur proverbio, ex

primâ statim laciniâ non esse temerè de totâ telâ
judicium iniquius ferendum. Reliquorum li-
brorum argumentum si requiras, dicam.

Librum tertium Edictis prætoriiis, quo-
rum sparsæ reliquiæ, ac veluti lacera fragmen-
ta supersunt in Pandectis, destino, iisque ube-
riores, quàm XII. Tabulis contineri fontes uni-
versi juris, quo utimur, non dissimulo. Sed
ut sinè iis Pandectæ frustra legerentur: sic ea
non patefactis priùs XII. Tabulis si confectarer,
viderer mihi neglecto primo, ac veluti princi-
pe corpore hujus ædificii, accessiones, appen-
dicésque solas persequi.

Olim AULUS GELLIUS cùm in Bibliothecâ
Templi TRAJANI Imperatoris aliud quippiam
requireret, fortè incidisse dicitur in Edicta ve-
terum Prætorum. Utinam talis aliquando,
tàmque felix casus occurrat: utinam Bibliothe-
cas omnes evolventibus, idque unum requi-
rentibus, tantus se se offerat Thesaurus! Con-
gesserat, atque in ordinem omnia illa Edicta
digesserat jussu, & auctoritate ADRIANI Impe-
ratoris SALVIUS JULIANUS libris nonaginta no-
vem complexus, quicquid de jure Prætores
edixerant annis quingentis. Tot enim nume-
rari possunt anni à primo Prætorè SP. FURIO
CAMILLO usque ad ea, quibus hoc opus JULIA-
NUS confecit. tempora. Edictum hoc perpe-
tuum (sic enim appellatur) ad cujus veluti
archetypum exemplar Pandectas suas digeri
voluit JUSTINIANUS, omni & studio, & curâ
qui-

quicquid
velig
vehem
Præto
libris
totam
plecti,
pertine
pue tra
magis p
ores ed
ius om
queri se
iudicia in
tractibus
his actio
res suis
dem de
misconfu
dicendum
quam de
tatem ip
quor de
atque ten
quam cer
me tantu
tè res
Loqu
perpetue
ANUS (a)

(a) l. 7. 7

quicumque his studiis nomen dederunt, per-
 vestigare tam valde certè debent, quàm eum
 vehementer detestari, qui hoc veluti Album
 Prætorum corrupit, sustulitve. His quidem
 libris Edicti perpetui JULIANUS rem iudiciariam
 totam, cui præerant Prætores, ordine com-
 plecti, quæque ad jurisdictionem & actiones
 pertinent, atque ad judicia exercenda præci-
 puè tradere voluisse videtur. Sed ut eam rem
 magis patefaceret, non prætermisit, quæ Præ-
 tores edixerant vel de personis, quarum causâ
 jus omne constitutum est, & de quibus initio
 quæri semper solet: vel de rebus, de quibus
 judicia inter personas esse possunt: vel de con-
 tractibus, ex quibus obligationes, sicuti ex
 his actiones nascantur. Et qui tandem Præto-
 res suis Edictis complexi non erant? cum qui-
 dem de iis, quæ vel Lege XII. Tab. vel Sena-
 tusconsultis constituta erant, de quibus jus esset
 dicendum, non minùs Edicta proponebant,
 quàm de iis ipsis, quæ propter publicam uti-
 litatem ipsi primùm introduxerant. Non lo-
 quor de illis Prætorum Edictis specialibus,
 atque temporariis, quæ ad unam modò ali-
 quam certæ alicujus causæ speciem, singulâs-
 que tantùm personas pertinebant, & prout
 fortè res inciderat, ex tempore proponeban-
 tur. Loquor de illis Edictis generalibus, &
 perpetuæ jurisdictionis causâ (ut loquitur UL-
 PIANUS (a) editis: quæ ad genus universum,

R 4

&

(a) l. 7. π. de Jurisdic.

& ad omnes, non autem ad singulas personas, neque ad unius modò alicujus causæ speciem pertinebant: & in albo, quod nemo impunè corrupisset, palam proponebantur: ut admoniti cives (sicuti noster POMPONIUS ait) præmunirent se se, si aut agere vellent, aut adversus eos alius ageret. Iis enim Prætor generaliter edicebat, quas actiones daret, quibúsve de rebus, & quomodo in omnibus causis jus diceret. Profitebatur actiones se daturum, vel quæ Jure Civili introductæ erant, vel quas ipse justâ reliquâ ex causâ introduxerat. Atque hujus quidem posterioris generis Prætoris actiones infinitæ sunt, ex propriâ jurisdictione Prætoris proficiscentes, atque dependentes, ut ait JUSTINIANUS (b) quas etsi solas persequamur, satis libro tertio negotii nobis erit. Et quæ tandem juris pars est, in quâ non occurrant Prætores? Diceres hoc jus, quo utimur, Prætorium magis esse, quàm civile: ipsasque Pandectas quosdam esse ad Edicta Prætorum commentarios majori ex parte.

Post Edicta Prætorum de jurisdictione, deque judiciis civilibus, & pecuniariis, videor mihi libro quarto rectè atque ordine propositurus Quæstiones publicas, causasque capitales cum legibus Corneliis. Olim penes populum ipsum Romanum imperium merum erat, sive potestas animadvertendi in facinorosos:

(b) *Princ. Instit. de perpe. & temp. act.*

rosos: itaque quoties necessaria videbatur capitalis animadversio, Quæstiores, sive Quæstiores constituēbat, sicuti Prætor in causis pecuniariis iudices dabat. Cum autem antea populus soleret in singula crimina mandare has Quæstiones, tandem L. PISO legem tulit, & PISONEM deinde secutus CORNELIUS SYLLA de Quæstionibus publicis, perpetuisque constituendis Prætoribusque ipsis, quorum auctus fuit numerus, in universum demandandis: sic hoc ut suum merum imperium lege delatum Prætores aliis mandare non temere possent (c). Ordinem publicorum iudiciorum ubi explieuerimus, Leges, quæ ad singula crimina pertinent, subjiciemus, præcipuè Cornelias de Sicariis, de Falso, & alias hujus generis: idque tantò etiam diligentius, quantò gravius est de sanguine, de capite, de vitâ hominum sententiam ferre, quàm de facultatibus, aut possessionibus: & reipublicæ admodum interest ubique personare legum Romanorum adversus publica maleficia non voces, aut verba, sed minas, sed terrores, sed tonitrua, sed fulmina.

Ubi totam meri imperii vim, & usum patefecero, tandem ad Responsa Prudentum descendam, libròque quinto imprimis antiquissimos illos Jurisconsultos aggrediar, quibus plurimum debet Romana Jurisprudencia, CATIONEM, Q. MUTIUM, GALLUM AQUILIUM, &

R 5

SER-

(c) L. 1. de offic. ejus, cui mand. est Jurisd.

SERVIUM SULPITIVM: M PORCIUM CATONEM LICINIANUM intelligo, PAULI AEMILII Macedonici generum, ab armatâ militiâ vocatum ad rogatam Præturam: cujus etsi non multa de jure responsa supersint, supersunt tamen, quæ diligenti consideratione digna sunt. Extat in Pandectis (*d*) quod ad XII. Tab. de divisione obligationis hæreditariæ inter hæredes, deque stipulatione pœnali hujus generis acutissimè scripsit. Extat & Catoniana Regula de Legatis: Catonianam Sententiam vocat MARCELLUS (*e*). Uterque locus & veteres Jurisconsultos exercuit, & nostros interpretes fatigavit. Ego, quid sentiam, non dissimulabo: ejusdemque CATONIS (*f*) de adoptione servi, quam vulgò ignotam esse scio, non prætermittam. Ubi nos CATO manumiserit, excipiet Q. MUTIUS SCÆVOLA, cujus cautio, quæ Mutiana dicitur, dignissima est, quam diligenter excutiamus. Uno in Pandectis tractatu de conditionibus & demonstrationibus; decem locis (*g*) explicatur ejus cautionis vis, & usus. Sed illud tamen superest explicandum, an & in contractibus locum habeat. Deinde & de aliis cautionibus ad hujus exemplum introductis dicendum est. Sunt & alia complura hujus MUTII responsa, quæ patefacienda erunt,
&

(*d*) L. 4. § 1. de verb. obli.

(*e*) L. 45. π. de condi, & demonstra.

(*f*) §. ult. instit. de adop

(*g*) L. 18 l. 67. l. 71. §. 1. l. 72. l. 73 l. 77. §. 1. l. 79. §. 1. l. 101. §. 3. l. 106. π. de condit. & demonst.

& quod de eo semel dixit CELSUS (b) *Hoc bene censuit Scævola*, in illa quæstione, an fidejussor usuras, quas ultro solvit, repetere à reo possit: in multis aliis juris partibus rectè de eo dici posse probabimus. Singulare ejusdem judicium (i) de evitandâ suspitione turpis quæstus non prætermitemus. Item, quod judicavit de eo, qui cùm tutorem haberet, furere cœpit. (k) Præcipuè autem de contentione, quæ illi fuit in causâ Curianâ eum suo collegâ LICINIO CRASSO Oratore, genero Q. MUTII SCÆVOLÆ Auguris, agendum erit, & quid in eo genere multis post annis Divi (l) Fratres ex consilio CERBIDIJ SCÆVOLÆ judicaverint, adjiciendum.

MUTIO GALLUM AQUILIUM adjungemus, cujus prudentiam Populo Romano cavendo prospexisse ait CICERO. Quæ fuerit ejus cautio, atque formula (m) instituendorum posthumorum nepotum, quos filius in jure sui hæredis præcedebat, ne si eo præmortuo, nascerentur sui hæredes, testamentum rumperebant tanquam præteriti: quæ vis fuerit, quis usus ejus cautionis: Quid GALLUM permoverit ad eam edendam, dicendum erit. Deinde & de Aquilianâ stipulatione, & ejus utilitate propter

(b) l. 48. π. *mandat.*

(i) l. 51. *de dona. inter vir & uxor.*

(k) l. 3. π. *de tute.*

(l) l. 4. π. *de vulg. & pup.*

(m) l. 29. π. *de lib. & posth.*

propter acceptilationes: postremò & de *Legè Aquilià*, quæ latissimè patet, adjiciemus ea fortasse ex GALLI AQUILII ætate repetita, quæ vulgo nota sunt. Tandem SERVIUS SULPITIUS cum suis auditoribus librum hunc quintum concludet.

Librum sextum occupabit, quicquid a primis Cæsaribus ad ipsum usque ADRIANUM de jure statutum est. Ac initio quidem agemus de Legibus Juliis: de anni compositione, & bissexti ratione, quam JULIO CÆSARI debemus: Pandectarumque loca hujus generis illustranda erunt. Cùm AUGUSTO plus nobis erit negotii. Olim cùm Romæ consultaretur de honoribus funeris AUGUSTI: L. ARRUNTIUS censuit, ut legum latarum tituli, victarumque ab eo gentium vocabula anteferrentur. Hos legum titulos cum legibus ipsis conquiremus. Citatur in Pandectis (n) AUGUSTI militaris disciplina. Citantur (o) & ejusdem libri de vitâ suâ. Hos si minùs nancisci possumus, saltem *Legis Papiæ Poppææ* capita præcipua cum suis causis edemus, quæ ad Jus Civile magis pertinent. *Legem Falcidiam* eodem tempore nam adjungemus cum singulari quorundam ejus capitum explicatione. *Legem* quoque *Rhodium* de jactu, & re nauticâ, quam AUGUSTUS confirmavit, & AUGUSTUM secutus AN-

TONI-

(n) L. 11. S. 1. π. de re mil.

(o) L. 1. π. de cadaver. punit.

ro
rius
&
fig
del
Au
An
bun
tis
quæ
caus
Vilij
bellian
Masu
publi
Huj
rimè
Pau
tur
verbis
Nerve
item d
saltem
Sep
Imper
veluti
bemus
quod e
posuitq
quoque

(p) 2

TONINUS (p) huc referemus, tantòque luben-
 tius tractabimus, quòd eam brevi & integram,
 & qualis primùm scripta fuit, græcam ex re-
 liquiis antiquitatis nancisci, & quæ hæcenus
 delituit, in lucem redituram esse sperem. Qui
 AUGUSTUM secuti Principes sunt usque ad
 ADRIANUM, suis rescriptis minùs nos occupa-
 bunt: sed eorum temporibus facta sunt sena-
 tûs consulta, & edicta Prudentum responsa,
 quæ propiùs excutienda sunt cum suis semper
 causis. Cujus generis est *Senatûs consultum*
Vellejanum, Macedonianum, Turpilianum, Tre-
bellianum cum Pegasiano. Cognoscendus erit
 MASURIUS SABINUS cum suis libris, qui primus
 publicè de jure respondit Principali autoritate.
 Hujus libros suis notis illustravit PAULUS, plu-
 rimaque sunt capita in Pandectis ex libris
 PAULI ad SABINUM, in quibus miserè fatigan-
 tur Interpretes, quod verba SABINI à PAULI
 verbis distinguere, atque discernere nesciant.
 NERVAS duos, patrem, & filium, CELSOS
 item duos cum suis responsis adjungemus, iis
 saltem, quæ interpretem requirunt.

Septimus liber præcipuè tribuetur ADRIANO
 Imperatori, cui novum quoddam, & primum
 veluti corpus Juris Civilis acceptum ferre de-
 bemus, propter Edictum illud perpetuum,
 quod ejus & jussu, & autoritate collegit, com-
 posuitque JULIANUS: ut omittam, quòd ipsis
 quoque Atheniensibus suas leges reddiderit,
 col-

(p) L. 11. 75. ad Leg. Rhod.

collectas, atque repetitas ex DRACONIS, & SOLONIS monumentis. Neque sanè alium existimavit JUSTINIANUS digniorem Principem, à quo inciperet suam illam congeriem, Codicémve Principalium rescriptorum, quanquam non nisi unum ADRIANI rescriptum in suum Codicem retulerit: (q) nisi si numeres & alterum, quod vel ALEXANDER (r) vel DIOCLETIANUS (s) refert, & duo illa (t) ejusdem jam antiquata, sublatáque Edicta. Sed in Pandectis tam multa commemorantur, vix ut quisquam facilè omnia enumeret. Inprimis autem excutienda erit ejus Epistola de illo beneficio divisionis, quod fidejussoribus tribuit. Magnus est hujus Epistolæ usus, sed eam integram desideramus, cujus quidem verba si extarent, multa de divisione inter fidejussores controversa certò definiri, faciléque componi possent. Hanc itaque Epistolam, quæ legem maximè momenti continebit, in integrum restituere, rursúsque edere, quantum licebit, oportet. Movit, opinor, ADRIANUM, quod in Græciâ, in quâ frequens erat, sæpe audierat vetus illud oraculum APOLLINIS: *Sponde, noxa præsto est:* ut hoc periculum, malúmque minueret infœlicium fidejussorum. Neque verò minùs diligenter explicandum erit, quod ejus temporibus

(q) L. 1. C. de testament.

(r) L. 4. C. ad Leg. Falc.

(s) L. 7. C. de incol.

(t) L. 5. C. de adif. priva. & l. ult. C. de edic. di. Adria tollen.

bus factum est Senatûs consultum (u) de petitione hæreditatis, neque alterum illud prætermittendum, quod in Pandectis quoque commemoratur (x) de iis non legandis, quæ ædibus juncta sunt. Uno ante hoc Senatûs consultum anno, Nicomedia tota terræ motu concussa corruerat, & plurima Nicææ urbis ædificia collapsa erant. Iis instaurandis de publico largitus erat impensas ADRIANUS, neque enim ferre poterat ruinis deformari publicum civitatum aspectum. Hanc illi, Senatuique fuisse causam existimo, ut, quod SPARTIANUS ait, constitueret, ne qua domus dirueretur, aliò transferendæ materiæ causâ. Postremò & in hanc classem referendum erit *Senatûs consultum Tertyllianum*. Cùm JULIANO plus etiam nobis erit negotii: eoque etiam magis, quòd nonnulla sint ejus responsa (y) in Pandectis, quæ magis ex summi, subtilisque juris, quàm æqui, & boni ratione profecta esse videantur: ut nesciam, an in eo genere illi potiùs, quàm aliis humaniùs, benigniùsque sentientibus Jurisconsultis assentiri debeam: quanquam alias ejus sententias sæpe, nec immeritò abs JUSTINIANO (z) magis probari non negem. TITUM ANTONINUM Pium ADRIANO, à cujus consiliis disjun-

(u) L. 20. §. 6. π. de petit. hered.

(x) L. 41. π. de leg. 1.

(y) L. 22. π. si cer. petat. l. 17. π. quib. mod. usus. fr. amit. l. 33. π. de condic. indeb.

(z) L. penult. C. de condic. indeb. l. 15. C. de usufr.

disjunctus nunquam fuit, conjungemus. CAPITOLINUS ait, multa eum de jure sancisse. Quæ sint ea, & quâ ratione sancita, si quid singularis rationis sit, excutiemus. Ajunt hunc Pium, cum etiam privatus adhuc esset, nunquam nisi trientes usuras ad summum exercuisse. Videndum erit, an MARCELLUS, qui tum vivebat, hoc exemplo commotus responderit, (a) si Reipublicæ in annos singulos aliquid legatum sit, tantum videri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes ejus summae colligendas. Dicendum erit & de aliis MARCELLI responsis, ac imprimis ejus responsum de eo, quod sæpe quaesitum est, & nunc quoque etiam quaeritur (b) an res inter alios judicatae aliis noceant: & corrupta ejus loci lectio restituenda. MARCELLO adjungemus MARTIANUM, & CAJUM nostrum: & utriusque formulam hypothecariam pervestigabimus. CAJI etiam responsum de jurejurando (c), quod defert judex, ne nos frustra ejus admonuerit, explicandum. Tandem pro coronide ad PIUM reversi, singulare illud ejus pietatis judicium cum suis etiam causis subjiciemus, quo filium desertorem (d), qui à patre suo fuerat oblatus, in deteriorem tantum militiam dari

(a) L. 3. §. 2. π. ad Leg. falcid.

(b) L. 93. π. de re judic.

(c) L. 31. π. de jurejurando.

(d) L. 13. §. 6. π. de re milit.

dari j
videre
plicita

fuis r

dii Sc

respon

M. Av

Quam

quid de

in Pande

on nepos

tur à bon

rudente

que pat

dictis l

propter

urita qu

passus lit

tur ejus e

qui, quoc

rem repo

solicitus,

creatus, s

monio int

cat. (b) (

(e) L. 17.

(f) L. pen

(g) L. 13

(h) L. 67

dari jussit, & capitalem ei pœnam remisit, ne videretur pater filium contra pietatem ad supplicium obtulisse.

Octavus liber erit Divorum Fratrum cum suis rescriptis, & eorum Præceptoris CERVIDII SCÆVOLÆ cum suis quoque hypotheticis responsis. Divos Fratres adoptivos intelligo M. ANTONINUM Philosophum, & L. VERUM. Quàm religiosè consuluerint Jurisperitos, si quid de jure pronunciandum esset, vel unus in Pandectis locus esse potest (e) ubi quæritur, an nepos propter delictum patris sui excludatur à bonorum possessione aviti liberti. Quàm prudenter MARCUS judiciis præfuerit, & utriusque patris advocatos audierit, alter in Pandectis locus ostendit, (f) ubi quæritur, an propter hæredum nomina inducta, deletæve, irrita quoque fiant legata. Quàm minimè passus sit ordinem judiciorum contemni, testatur ejus edictum, quod exrat adversus eos, qui, quod sibi deberi putant, non per judicem reposcunt. (g) Quàm fuerit de pupillis sollicitus, non modò Prætor tutelaris ab eo creatus, sed & ejus oratio de prohibito matrimonio inter tutorem, & pupillam, satis significat. (h) Quàm eorum etiam curam gesserit, quibus

(e) L. 17. π. de jure patron.

(f) L. pen. π. de iis, quæ in testa. delem.

(g) L. 13. π. quod metûs cau.

(h) L. 67. §. 2. π. de ritu nup.

quibus testamento relicta erant alimenta, ne captiosa aliqua transactione circumvenirentur, ostendit ejus eâ de re oratio. (i) Sed de his, & hujus generis aliis copiosè dicendum erit, & eorum etiam causæ pervestigandæ. Occupato bellis illis Marcomannicis MARCO in extremâ Germaniâ, SCÆVOLAM deinde nostrum hoc quoque libro octavo aggrediemur. Ac primùm quidem ejus exemplo addiscendum erit, quâ ratione generalia Divorum Fratrum rescripta ad nostras hypotheses trahenda sint: ut ille ex horum rescripto, privatis pactionibus non lædi jus cæterorum respondit, transactione (k) quæ inter hæredem scriptum, & matrem defuncti facta est, non imminui legatariorum actiones: & alias hujus generis complures quæstiones definiit. Sed ejus ingenium, & acumen magis perspiciemus in illâ suâ disputatione de cautione GALLI AQUILI, & *Legis Velleæ* (l), aut si de contractibus eum subtilissimè judicantem audire quis malit, non deerit argumentum. (m) Excutiendæ postremo erunt CLAUDI notæ in *Scævolam*, ac illa imprimis, quâ magno ingenio eum respondisse ait, (n) incertum, an εἰρωνικῶς. (*)

Librum

(i) L. 8. princ. π. de Transact.

(k) L. 3. π. ibid.

(l) L. 29. π. de lib. & posth.

(m) L. 122. π. de verb. obl. l. 5. π. de nav. fœn.

(n) L. 109. π. de condit. & demonstr.

(*) Ironicè.

Lib
duobus
TIMO S
SPARTI
audivi
rescrip
que lan
quidem
ipsum,
mus (o):
non illum
rit, de e
quod infi
num Jur
cipem fu
viri pera
dicendo
mirabim
excellen
vebimur,
ni præstan
sâtem pro
effigiem re
dis hæc ma
modo adur
lineamentis
actum omni
genè judic
PAPINIANO n
sed & P
(*) L. 9. s

Librum nonum præcipuis, summisque duobus Juris Civilis autoribus tribuemus SEPTIMIO SEVERO Imperatori, & PAPINIANO nostro. SPARTIANUS testis est, SEVERUM plurimas causas audivisse. Sed de pluribus etiam quæstionibus rescripsisse, non erit difficile ostendere, neque sanè mirum est, tam multa definiisse, cum quidem & à caprariis adiri, consulique & ipsum, & ejus filium ANTONINUM videamus (o): & ipse SEPTIMIUS SEVERUS PAPINIANUM illum suum Præfectum Prætorio habuerit, de cujus quidem vitâ, & responsis, si, quod instituo, perscribere possim, & hunc unum Jurisconsultorum omnium facilè principem fuisse intelligemus: & præstantissimi viri peracre judicium in respondendo, & in dicendo singularem orationis dignitatem admirabimur: ac si quid nos movent imagines excellentium virorum, exemplo quoque movebimur, ut si minùs imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possimus, voluntate saltem proximè accedamus. Expressam ejus effigiem reddere, & ad vivum effingere rudis hæc manus non potest. Sed etsi imperitè modò adumbrarit, & extremis tantùm veluti lineamentis obscurè descripserit: nihil tamen actum omnino non esse fatebuntur, qui ingenuè judicabunt. Illud nunc solum dico, si PAPINIANO non modò prudentes ejus discipuli, sed & Principes deinde omnes, qui Jus

(o) L. 9. S. 4. π. locati.

Civile amârunt, nihil non detulerunt: si ab ejus responsis recedere se nolle profiterentur GORDIANUS, DECIUS, CARUS, DIOCLETIANUS, CONSTANTINUS, JUSTINIANUS (p): si existimavit JUSTINIANUS tractatum de pignoribus, & hypothecis, quem suis Pandectis ascribere volebat, rectè confici non posse sinè PAPINIANI gravissimis, atque acutissimis responsis: Nos tantum ei tribuamus, ut & reliquas Juris Civilis partes, nisi si hic veluti architectus extremam veluti apposuerit manum, mancas fore, & imperfectas existimemus. Ubi verò accesserit, nihil defuturum eorum, quæ imprimis requiri possunt. Et quis tandem alius potius consuleretur, ubi dignus vindice nodus inciderit?

Decimus continebit ALEXANDRUM SEVERUM cum suo ULPIANO, PAULO, AFRICANO, MODESTINO, & reliquis eorum collegis, in quibus agnosco florem suavissimum Romanæ jurisprudentiæ, sed extremum. Quod ad ULPIANUM nostrum attinet, nescio, an is ille sit, quem apud ATHENÆUM legimus vulgò dictum *κραιττόνριτον* (*) propter crebras, quas de singulis rebus passim movebat, quæstiones, quam

(p) L. 12. C. de leg. l. 3. C. de acquir. poss. l. 16. C. de fidecom. l. 14. C. de præd. minor. l. ult. C. de sentent. pas. & rest. l. 30. C. de fidecommis. l. 6. & 8. C. de inst. & sub. l. 35. C. de in offic. testa. l. 10. C. de adopt.

(*) Præstantissimum judicem.

quam
eodem
um a
rum,
rande
stium
sticis,
dici ab
earum r
merant?
fili, &
nos magi
de Condi
partibus,
termittit
in dispo
NIANI, &
de oblig
propius
hujus gen
mor respo
satis habit
CARNEADE

(q) L. 3.
C. ar. leg. l.
C. de lega. l. 1
(r) l. 40.
(s) l. 38.
(t) l. 2. &
(u) L. 38.
C. de leg. l. 14

quam & tempora, & patria Tyrus significant eundem esse. Illud certum est, rerum omnium admodum peritum fuisse, siue politicarum, siue etiam æconomicarum. Quid enim tandem vel de penu, vel de generibus vestium, aut vinorum, vel de instrumentis rusticis, vel de speciebus auri, atque argenti dici ab optimo patrefamilias, vel perissimo earum rerum posset, quod ULPIANUS non enumerarit? (q) Sed & graviora hujus Jurisconsulti, & uberiora sunt alia responsa, quæ nos magis exercebunt. Quid enim de Pactis, de Condiotionibus, de singulis Juris Civilis partibus, quod quidem dici rectè posset, prætermisit? Huic PAULUM adjungemus: cujus in disputando acumen in auditorio (r) PAPIANI, & CARACALLÆ (s) & in disputatione (t) de obligationibus dividuis, atque individuis propiùs intueri est operæ precium, cum aliis hujus generis sexcentis. AFRICANI si vel quatuor responsa (u) sola explicanda suscepero, satis habiturus sum negotii: atque ut olim CARNEADES cum CHRYSIPPO dialectico subtilis-

S 3

simo

(q) L. 3. π. de penu leg. l. 23. & 25. π. de au & ar. leg. l. 9. π. de trit. vin. l. 12. π. de instr. & inst. lega. l. 19. π. loc. l. 19. de au. & arg. leg.

(r) l. 40. π. de reb. cred.

(s) l. 38. π. de minor.

(t) l. 2. & 4. π. de verb. oblig.

(u) L. 38. de condictione indeb. l. 8. de eo, quo cert. loc. l. 14. de lib. & posthu. l. 41. π. de reb. cred.

simo congressurus, solebat se se ante Helleboro purgare, quò esset ingenio & acriori, & perspicaciori: Sic sentio & diligentia, & intentione animi hebetudinem illi esse discutiendam, qui cum hisce viris rem habere velit. Pro coronide hujus libri decimi proponemus centuriam unam antinomiarum, sive potius veterum inter Jurisconsultos dissensionum, atque controversiarum, neque proponemus sine aliquâ vel compositione, vel conciliatione.

Manumissi à Prudentibus toti erimus in Principum rescriptis, ac constitutionibus, quas cum suis circumstantiis hypotheticis propius ponderasse valde necesse est, ac librum quidem undecimum GORDIANI, & aliquot sequentium Principum rescriptis tribuemus. In GORDIANI rescriptis, quæ multa sunt, & singularia, prudentiam ejus soceri MISITHEI agnoscemus. Adolescens erat GORDIANUS: adolescentum itaque XXV. annis minorum causam, atque utilitatem minimè neglexisse ex optimis hujus generis ejus legibus ostendemus (x). Quo tempore totus in colligendo milite ad bellum Persicum, cur tamen passus non sit in militum gratiam solennem Juris, judiciorumque ordinem infringi (y), dicendum erit. Cùm Antiochiam Persis eripuisset,

rescri-

(x) L. 1. & 2. de filiosa. min. l. 1. C. si major fac. vend. fac. sine dec. ratihabuerit. L. 2. C. si quis igne. rem. min. ame.

(y) L. 14. C. de pact.

rescrip
cervici
Leges
sum (c
mus.
gulare
bus du
sunt, n
comiam
petentur
rum qui
quo jam
Paulo
cujus Pa
ruicidatu
te edider
ti, aut
mus sua
nibus, de
surae no
lum. (c)
horus (Ar
taverit, le
munitas c
seculares
urbis aedific

(c) L. 1. C
(d) L. 2. C
(e) L. 1. C
(f) L. 17.
(g) L. 3.
(h) L. 3. C

rescripissétque senatui, se se ab Antiochenſium cervicibus amoviſſe, & Reges Perſarum, & Leges: quàm ſubtile de Jure Civili reſponſum (z) in mediis caſtris reddiderit, ſubjiciemus. Neque verò prætermitemus duas ſingulares, & novas ejus conſtitutiones, ex quibus duo in Codice JUSTINIANI conſecti tituli ſunt, nempe, etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri poſſe; et quando non petentium partes petentibus accreſcant. Quorum quidem poſtremam edidit eo tempore, quo jam imperium totum ferè amiſiſſet, & PHILIPPO ambitioſè id affectanti accreviſſet, cujus PHILIPPI inſidiis paulò poſt GORDIANUS trucidatus eſt: neque illis ſuis, quas paulò ante ediderat, legibus adverſus ſicarios (a) aut uti, aut ſe ſe tueri potuit. PHILIPPO redde-
mus ſuam legem (b) de inofficioſis donationibus, deque jure anticreſeos, fini legitimæ uſuræ non concluſo propter incertum fructum. (c) Dicendum etiam erit, cur hic barbarus (Arabem enim fuiſſe conſtat) Poëtiſ non favorit, legemque (d) tulerit, ne qua iis immunitas daretur. Eo imperante cùm ludii ſeculares celebrarentur, incendium plurima urbis ædificia abſumpſit. Sequenti die ſtatuit (e)

S 4

quod

(z) L. 1. C. de obl. & act.

(a) L. 2. & 3. C. ad leg. Corn. de ſicar.

(b) L. 1. C. de inoff. don.

(c) L. 17. C. de uſur.

(d) L. 3. C. de profeſſ. & med.

(e) L. 3. C. de peric. tut.

quod in *Codice* extat, si res pupillares incendio absumptæ sint, quas aut vendidisse debuerat tutor, aut diligentius adseruisse: damnum tutoris fore, non pupilli, quanquam quatuor post mensibus in uniuersum edixerit (*f*) tutoribus fortuitos casus, quos cavere non poterunt, non imputari. Paucis diebus ante illud, quod dixi, incendium, legem tulerat (*g*) quæ postea incensarum ædium restitutioni profuit, ut, si ædificium, quod cum alio mihi commune est, solus meo sumptu refecerim: totum fore meum, atque in solidum, si quatuor mensibus recuset socius, sumptus pro suâ parte mihi restituere. De hisce diligentius erit agendum, minimèque prætermittendum, quod primus statuit (*h*) adversus incendiarios. Cum DECIO parum nobis erit negotii, minus etiam cum TREBONIANO GALLO: qui quàm perfidè nactus est imperium, tam infeliciter etiam gessit, nam Scythis tributarium reddidit: unicum tantummodo extat ejus rescriptum (*i*) ut, qui pro alio tributa solvit, negotiorum gestorum actione ab eo repetere possit. An hic tributarius Princeps, quàm facilis fuit ad tributa Scythis danda, tam sibi ut facilè darentur, cavere voluerit, quæri poterit. VALERIANUS eum subsequitur, prudentior ille quidem, sed infelicior multò magis. Nuptiales

(*f*) L. 4. C. de peric. tut.

(*g*) L. 4. C. de ædific. priva.

(*h*) L. 11. C. de his, qui accus.

(*i*) L. 16. C. de nego. gest.

les sal
infuav
inde c
POLL
stites.
res: c
RELIAN
public
statueri
nullum
pretext
tionèqu
intelliger
quid illi
ejus libe
filiis ref

Hi
cimâ fu
CLETIAN
rum dec
& difficul
vilis ratio
que sing
tam dilig
leam hun

(k) L. 18
ante nup. l. 2
C. ad SC. Ve
(l) L. 2
(m) L. 1
lic. se excu

les saltem hujus miseri senis Leges (k) non erit insuave diligenter cognovisse. CLAUDIUM deinde optimas leges dedisse scribit TREBELLIVS POLLIO: sed non nisi duas (l) habemus superstites. AURELIANI, & PROBI non multò plures: quamvis FLAVIVS VOBISCUS testis sit, AURELIANVM plurimas sanxisse, & quidem Republicæ vehementer salutares. Cur autem statuerit, quod in Codice JUSTINIANI legitur (m) nullum omnino quocunque vel privilegio, vel prætextu excusari à comparatione, transvectioneque specierum ad necessitates Illyrianas: intelligere non possumus, nisi si teneamus, quid illi cum Illyrico fuerit negotii, & cur ejus liberator sit dictus. Ex CARO, ejusque filiis referemus, quæ relatu digniora sunt.

Hanc Principum turbam statione duodecimâ subsequetur cum suo MAXIMIANO DIOCLETIANUS: cujus unius rescripta, quàm illorum decem superiorum, plus longè habent & difficultatis, & fructûs, quod ad Juris Civîlis rationem attinet, sũntque tam multa, deque singulis vel minimis etiam juris partibus tam diligenter conscripta, ut sæpe mirari soleam hunc Principem, qui cum adiretur, ado-

S 5

vari

(k) L. 18. C. ad leg. jul. de adul. l. 5. C. de donat. ante nup. l. 2. C. de repud. l. 5. C. de inst. & sub l. 12. C. ad SC. Vell. l. 15. C. de pac.

(l) L. 2. C. de div. resc. l. 6. C. de ser. & aquâ.

(m) L. 1. C. de quib. numerib. vel præstat. memi. lic. se excus.

rari tanquam Deus quispiam volebat, tam patuisse omnibus consultoribus, tamque facile adiri potuisse, & familiariter etiam de iis, quæ jam satis jure scripto tradita erant, sæpius consuli. Certè totum librum duodecimum impendam ejus unius rescriptis: ex quibus solis videor mihi conficere posse integrum quoddam Juris Civilis corpus; si quinque, aut sex celebriora solùm capita (cujus generis aliquot in ore sunt omnium) (n) ambitiosè attingere velim, minùs fortassè laborarem. Sed cum hic Princeps in mediis etiam castris, inter arma, in summis, ac gravissimis occupationibus bellorum, nullis laboribus cesserit, quin de jure responsa daret: pudere nos nostræ ignaviæ debet, si in umbrâ, in otio, in quiete summâ aut perlegendis iis non insudemus, aut ea certè lentè, & fastidiosè perlegamus. Noluit hic Princeps, & duabus etiam constitutionibus (o) edictis vetuit, quenquam ante annum vigesimum quintum abduci à scholis, aut à studiis liberalibus præsertim Juris Civilis, avocari. An indignus est, qui tam liberaliter nostris studiis favit, cujus legibus partem unius anni aliquam impendamus?

Digniore[m] etiam esse CONSTANTINUM,
cujus legibus considerandis librum decimum
tertium

(n) L. 16. C. famil. ercisum. l. 8. C. de impub. & aliis substit. l. 18. & l. 28. C. de pac. l. 2. C. de res. vend. l. 6. & 8. C. si. cer. peta.

(o) L. 1. C. qui ata. vel profes. se excu.

tertiun
bunt.
sequer
petem
sed &
rabir:
tus ab
ille, qu
mum à
omitam
singulis
hominum
diligenter
expendar
tis causis
rum co
ferre po
tione m
tributoru
torum, &
vocat (r)
forti in p
Principalis

(p) L. 1.
de fal. mon.

(q) L. 3.
insti. non poss
l. 2. C. siue. c

(r) L. 1. c

(s) L. ult

(t) L. m

tertium occupemus, multi, opinor, judicabunt. Cujus quidem constitutiones sicuti & sequentium Imperatorum non modò eas repetemus, quæ in JUSTINIANI *Codice* supersunt, sed & quas *Theodosianus Codex* nobis suppeditabit: non ille modò concisas, atque diminutus ab ALARICO Gothorum Rege: sed integer ille, qui his diebus repertus est, qualis primum à THEODOSIO editus fuerat. Ac ut nunc omittam Ecclesiasticas CONSTANTINI leges, de singulis Reipublicæ partibus, & privatorum hominum negotiis ea statuit, quæ suo ordine diligenter ut expendantur, dignissima sunt, & expendantur quidem cum suis aliunde repetitis causis, atque circumstantiis, quod finè earum cognitione nihil in hoc genere solidi referre possimus. De re nummariâ (*p*), & ratione monetæ: de exactiōe, remissionèque tributorum: (*q*) de re militari: de testamentorum, & ultimæ voluntatis libero stylo, ut vocat (*r*): de contractibus, de lege commissoriâ in pignoribus rescindendâ (*s*): de socio Principalis donationis decedente (*t*) finè hærede:

(*p*) L. 1. & 2. de vet. numis. potesta. l. 1. & 2. C. de fal. mon.

(*q*) L. 3. C. de anno, & trib. l. ult. C. vectig. no. instit. non posse. l. una. C. de capitat. civi. cens. eximieen. l. 2. C. sinè cens. vel re liq. l. 2. C. de deb. civit.

(*r*) L. 1. C. de sacr. eccles.

(*s*) L. ult. C. de pact. pig.

(*t*) L. una C. si liberal. imp. lib. soc.

rede: de judiciorum ratione (u), quid prudenter, & singulari iudicio primus prodidit, non minori aut prudentiâ, aut iudicio explicari debet. Quid? quod hujus etiam generis Leges (x) tres de rebus forensibus eo tempore edidit, quo in Nicenâ Synodo tot, tantisque occupationibus distractus erat.

Tribus ejus filiis librum decimum quartum tribuimus, præcipuè CONSTANTIO: cujus ingenium familiariter cognovisse, ad ejus leges rectè intelligendas magni erit momenti. AMMIANUS MARCELLINUS *Libro XXI.* ait eum facile ademisse, quæ donaverat. Sed aliam præterea causam reddere possumus, cur natis præter spem liberis revocari donationem voluerit: (y) cur veteres famulas sustulerit: (z) quid sibi velit ejus collega JULIANUS Imperator, cum de magistris studiorum legem edit, (a) aliunde, quam ex protritibus glossematibus repetendum erit. JOVIANUS (b) unicam solum tulit legem, sed quæ multos miserè perdidit, afflixitque, quia vulgò non satis intelligant, quò spectet ejus severitas, & quâ vel ratione, vel occasione ejusmodi sanctio edita sit. *Illud Valen-*

(u) l. 8. C. de jud.

(x) L. 5. C. de postul. l. 10. C. de judic. l. 2. C. de precib. imp. offer.

(y) L. 8. C. de rev. donat.

(z) L. 1. C. de jur. form.

(a) L. 7. C. de Profess. & Med.

(b) L. 5. C. de Episcop. & Cler.

inim
dam e
quid
tempo
multi
ni (d
novi i
nihil a
Intertur
publi
ut oport
circumst
de causid
uit hic
singular
edixit
suos ex
gratos
xum sui
Dec
THEODOS
NORIO. ?
Juris Civ
ejus acut
bimur, it

(c) L. 1.
(d) L. 1.
(e) L. 6.
(f) L. 2.
(g) L. 1.
(h) L. 4.

Valentiniani, ut provideant Episcopi, (c) ne modum excedant negotiatores domûs Principalis, quid sibi velit, non intelligent, qui eorum temporum rempublicam non considerant: multi etiam minùs illud ejusdem VALENTINIANI (d) ut veteris frumenti, aut vini corruptio, novi integri adjectione veletur, nihil iniquius, nihil ad regendas negotiatorum fraudes, ad inturbanda commercia, ad evertendam rempublicam gravius dici posset, nisi si hoc dictum, ut oportet, interpretemur, & intra suarum circumstantiarum fines cohibeamus. Quod de causidicis, deque medicis prudentissimè statuit hic VALENTINIANUS (e), causas habet suas singulares: sed vulgo ignotas, sicuti & quod edixit vel adversùs parentes (f), qui liberos suos exponunt: vel adversùs ipsos etiam ingratos liberos (g), dum filium suum GRATIANUM sui officii admonere vult.

Decimum quintum librum occupabit THEODOSIUS cum suis filiis ARCADIO, & HONORIO. THEODOSII acumen subtilissimas etiam Juris Civilis rationes perspicientis, vel ex uno ejus acutissimo rescripto (h), quod interpreta-
bimur, statim omnes agnoscent, cur edixerit,
libe-

(c) L. 1. C. de Epis. aud.

(d) L. 1. C. de condit. in publ. horr.

(e) L. 6. C. de postulan. l. 9. C. de Prof. & Med.

(f) L. 2. C. de infan. expon.

(g) L. 1. C. de ingr. lib.

(h) L. 40. C. de trans.

liberum esse cuilibet vendere rem suam (i),
 summotis proximis, atque consortibus. Quâ
 ratione nolit audiri venditorem (k) qui causa-
 tur se se rei suæ, quam vendidit, ignorasse
 æstimationem. Cur fidejussores dotium esse
 prohibuerit (l): alius repetendum erit. Sa-
 luberrima illa, & verè Ambrosiana ejus con-
 stitutio (m), ut non nisi post dies XXX. pareant
 iudices Principis rescripto graviolem aliquam
 pœnam imperantis, unde nata sit, operæ pre-
 tium erit intelligere, & ex ea cæsâ Theffalonicâ,
 servatâque Antiochiâ interpretationem audire.
 Denique cur THEODOSIUS, quem naturâ fuisse
 ὄξύχολον (*), ut esse solent naturæ pugnaces
 acriores, & accepimus, & ex ipsâ ejus patriâ
 colligere possumus, tam lenem, & indulgentem
 constitutionem ediderit (n) de iis, qui Impera-
 tori maledixissent, dicendum erit. ARCADII,
 & HONORII constitutiones multò magis etiam
 opus habent singulari quâdam consideratione:
 & horum pupillorum Tutores RUFINUS, atque
 STILICO, qui eorum nomine leges edebant,
 propiùs cognoscendi sunt, neque verò me mul-
 tum movet eorum lex *de Majuma*. Esto, in-
 dulgeatur populi ludis, atque deliciis. Sed illa
 con-

(i) L. 14. C. *contr. emp.*

(k) L. 15. C. *de resc. vend.*

(l) L. 1. C. *ne fidejuf. doct. dent.*

(m) L. 20. C. *de pœnis.*

(*) *Subito & acriter irascentem.*

(n) L. una C. *si quis Imp. maled.*

confi
 bitate
 te dig
 patet
 intelic
 altera
 mùm
 ratione
 rem eo
 Clerici,
 aut man
 quam e
 tercello,
 Macedon
 num sol
 non igr
 THEOD
 nobilio
 cuos, c
 cere per
 inter pleb
 di, vende
 id sibi ve
 raretur,
 oportet,

(o) L. 4

(p) L. 5

(q) L. 2

(r) L. 6

(s) L. 1

(t) L. 3

constitutio de transactionibus (o), cujus acerbiter, atque duritiem omnes mirantur, certe dignissima est, cujus causæ, atque autores patefiant. Non tam multis reorum Majestatis infelicibus liberis exitio fuisset acerbior etiam altera horum constitutio, (p) si aut quâ primùm occasione fuerit edita, aut quâ paulò post ratione repressa sit, satis notum fuisset. Justiorum eorum legem (q), quâ prohibent, ne Clerici, vel Monachi reos damnatos liberent, aut manibus judicum eripiant, illustrabit illa (r) quam eo tempore Episcopi intendebant, intercessio, de quâ agit AUGUSTINUS *Epist. LIV. ad Macedonium*. Sustulerunt hi Principes cretionum solennitatem (s). Digna ea res est, quæ non ignoretur: sicuti & quod HONORIUS cum THEODOSIO secundo, fratris sui filio edixit (t) nobiliores natalibus, & honorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores prohiberi exercere perniciosum urbibus mercimonium, ut inter plebejos, & negotiatores facilius sit emendi, vendendique commercium: quid (inquam) id sibi velit, aut quorsum pertineat, non ignoraretur, si hujus legis sententia, ex quibus oportet, fontibus repeteretur. Quod iidem Prin-

(o) L. 41. C. de transactionib.

(p) L. 5. C. ad leg. jul. ma.

(q) L. 22. C. de pœnis.

(r) L. 6. C. de episc. aud.

(s) L. 17. C. de jur. deliber.

(t) L. 3. C. de commer. & mercat.

Principes vetant, ne quis Martyres (u) aut distrahatur, aut mercetur, frustra legimus, nisi si ex AUGUSTINO (x), qui eo tempore vivebat, didicerimus, quales fuerint, & quid spectarint hujus generis mercatores. Quo anno capta est à Gothis Roma, duas eodem die leges tulerunt (y), sed interpretem desiderant. De reliquis THEODOSII secundi, & ejus collegæ VALENTINIANI tertii constitutionibus suo quoque ordine agendum erit. Digni sunt hi Principes, quorum leges illustrentur, cum quidem dignam esse bono Principe vocem professi sint (z) fateri se legibus obtemperare & velle, & debere. Ac bene habet, quòd hujus THEODOSII magnus ille, & integer Codex majori ex parte hisce diebus repertus est, complectens Christianorum Principum à CONSTANTINO constitutiones & plures, & pleniores, quam in JUSTINIANI Codice contineantur, ut non possit non utilissima esse collatio.

Decimus sextus liber complectetur quinque Principes Constantinopolitanos MARTIANUM, LEONEM, ZENONEM, ANASTASIVM, JUSTINUM. In ZENONE majus erit longioris moræ precium. Primus is constituit contractum emphyteuticum, cujus (a) & causam, & usum,
&

(u) L. 3. C. de sacrosanc. eccles.

(x) in lib. de opere monach.

(y) L. 2. C. de infir. pæ. cælib. l. 1. C. de jure liber.

(z) L. 4. C. de legib.

(a) L. 1. C. de jur. emphyt.

& j
Ejus
quæ
erit,
est,
illan
vis j
vim c
ejus j
est. U
quillinc
tes rem
eos, qu
nem in
dem st
gotho
non t
da eju
bendis
fuerit.
rum ab
carceri,
no min
titutio
de rede
lis, quar
utilissima

(b) L. 3
(c) L. 9.
(d) L. 3
(e) L. 2

& jus rectè intelligere admodum est necesse. Ejusdem est lex illa saluberrima de monopoliis, quæ quàm sit in republicâ necessaria, dicendum erit. Inquirendum & illud, quod vulgare non est, quâ ratione novam quadriennii (b) suam illam præscriptionem introduxerit. Cur ubi-
vis iudicio patefacta esset, & actor damni per vim dati æstimationem probare non posset (c), ejus jurejurando definiri voluerit: quærendum est. Ut & illud, cur adversùs colonos, vel inquietos usque ad condemnationem recusantes rem domino restituere, non secus, atque eos, qui vim fecissent (d), & alienam possessionem invasisent, coërceri statuit. Quod quidem statuit Consule THEODERICO Rege Ostrogothorum, cujus virtuti, & prudentiæ nihil non tribuerat. Postremo loco erit consideranda ejus constitutio de privatis carceribus inhibendis, quanquam auctori suo parum ea profuerit. Ajunt enim hunc ZENONEM adhuc vivum ab uxore inclusum sepulchro tanquam carceri, miseram mortem obiisse. In ANASTASIO minùs hærebimus. Sed ejus tamen constitutio (e) quam JUSTINIANUS justissimam vocat, de redemptis adversùs alios actionibus litigiosis, quam multi detorquent ad sententiam injustissimam, digna est, quæ cum suis causis diligenter-

(b) L. 3. C. de quadr. præsc.

(c) L. 9. C. unde vi.

(d) L. 34. C. de locato. l. 10. C. unde vi.

(e) L. 22. & 23. C. mandati.

ligenter excutiatur. JUSTINUS cum suis donationibus propter nuptias minùs etiam nos remorabitur. Properabimus enim ad ejus hæredem JUSTINIANUM, totius veluti operis architectum.

Dabitur JUSTINIANO liber decimus septimus. Ex trecentis ejus constitutionibus Latinis initio diligendæ erunt quinquaginta illæ, ut vocantur, Decisiones, quibus vel jus vetus, quod etiam in Pandectas relatum erat, emendat, vel veterum Jurisconsultorum controversias definit. Si duas ejus constitutiones de ratione, & modo usurarum, deque eo, quod interest, solùm explicaremus: non minima Juris Civilis pars evolenda esset. Jam verò cum de singulis ferè Juris Civilis partibus nova ejus judicia patefacienda sint: totam ferè Jurisprudentiam retexamus, necesse est. Neque verò solas veterum de jure controversias composuit, diremitque; sed & alias complures suo primùm tempore natas. Nam & quoties in foro aliqua de jure quæstio inciderat, ad eum referebatur. Sic frequenter eum consultum ab Advocatis (f) vel Cæsariensibus, vel Palæstinis, accepimus. Quid de ejus constitutione dicam, quæ explicat (g) celebrem illam quæstionem, cum res aliqua tota uni alicui legata est, deinde altera pars ejusdem rei? Certè dignus locus est consideratione non vulgari. Neque modò Latinæ ejus constitutiones, fed

(f) L. ult. C. de pactis. l. 12. C. de leg. hered. l. 27. C. de fidejuss.

(g) L. 23. C. de legat.

sed & Græcæ NEAPAI (*) suo ordine cum suis etiam circumstantiis diligenter considerandæ sunt. Adde earum epitomas Codici sparsim affutas. Atque ut omittam Latini interpretis vitia, quæ multa sunt: ut taceam ipsorum synomistarum peccata, quæ levia non sunt: sæpe vel suo loco mota, vel alieno temerè inserta harum constitutionum fragmenta magnis erroribus maximam causam præbent. Exstat in *Codice* rescriptum PHILIPPI Imperatoris (b) ad justam debiti probationem non esse fatiis, si quis fortè in suo testamento scribat, dicatve aliquid sibi deberi. Illi subjicitur hoc fragmentum Novellæ constitutionis Justinianæ, quod obtinet omnimodo, si testator non juraverit. At quorsum illud? An alicui in re suâ credetur, quantumvis jurato testi? (i) Imò verò illa appendix, exceptioque subjicienda erat cuidam DIOCLETIANI rescripto, ut pluribus verbis suo loco dicam.

Possem in JUSTINIANO desinere: sed quia Jurisprudencia, quam profitemur, aliis deinde accessionibus aucta est: ut eas quoque perlustremus, necesse est. Librum itaque decimum octavum tribuemus FRIDERICIS illis duobus Imperatoribus, aliquot constitutionum Codici insertarum autoribus. Videndum erit, quorsum pertineat, & quam ob causam edita sit FRIDE-

T 2

RICI

(*) Novellæ, recentiores.

(b) L. 6. C. de probat.

(i) L. 10. C. commun. utri. jud.

RICI I. Aenobarbi constitutio (*k*) in gratiam scholasticorum, ne studiosi prætextu alicujus litis abducantur ab academiis. Quid item sibi velit altera ejusdem lex de jurejurando puberum (*l*) ad eorum confirmandos contractus, de quâ & olim magna fuit inter MARTINUM atque BULGARIVM contentio, & nunc quoque non levis inter multos controversia est. Alterius FRIDERICI plura capita sunt, sed minùs difficilia: quanquam suas quoque habeant singulares circumstantias.

FRIDERICIS adjungemus Pontifices Romanos, qui eodem tempore multa, quæ ad Jus Civile pertinent, statuerunt de usuris, de jurejurando, de nuptiis, de testamentis, & similibus. Neque verò aut illam BROUCARDI VORMACIENSIS *πρωτοβία* (*) (sic enim homo gloriosus inscripsit) ante annos quingentos, & quinquaginta editam: neque IVONIS CARNOTENSIS ejusdem argumenti libros decem, neque GRATIANI postremam hujus generis farraginem attingere instituo: sed trium modò præcipuè Pontificum ALEXANDRI III. INNOCENTII III. & GREGORII IX. nova de iis, quæ dixi, Juris Civilis capitibus judicia, atque decreta. Cùm de nuptiis inter cognatos ageretur, ante annos fere quingentos in quodam Concilio Lateranensi repudiata est Romanorum Prudentum, ac JUSTINIANI sententia

(*k*) *Authent. habita. C. ne fil. pro pa.*

(*l*) *Authent. sacramenta. Cod. si advers. vendit.*

(*) *Legum omnium Collectionem.*

tenia
vaque
quam
cis ne
co p
quod
judic
quere
atque
ductum
nam at
rum ill
quoque
sine cor
re nup
tificem
tur) ne
scripta
& earum
jactantur
ta. Sed
rem præ
Certè ne
persuade
tum rei
gorum I
citur re
Jurisconf

(m) Cap
XXX. quest
(n) Cap.
(o) Cap.

sentia de numerandis cognationis gradibus: novaque eorum numerandorum ratio prodita, quam quidem & veterem esse, & veteribus græcis non ignotam fuisse ex quodam PINDARI loco probare possem: sed novam nunc dicimus, quod suis autoribus nova visa sit. De eâ quid judicandum sit, & a Jure Civili cur recesserit, quærendum est: ubi de gradibus cognationis, atque etiam affinitatis quid jure Pontificio introductum sit, quod quidem ad nuptiarum rationem attinet, discussum erit, excutiemus & alterum illud, quod ajunt eo jure immutatum quoque esse præceptum Juris Civilis vetantis sine consensu parentum filiosfamilias contrahere nuptias. Certè neque id improbasse, Pontificem NICOLAUM II. (quo tamen autore nituntur) neque ejus hac de re, quæ extant, (m) rescripta id significare ostendemus. De usuris (n) & earum ratione, vel usu multa quidem vulgò jactantur à Jure Civili aliena Pontificum decreta. Sed an ita sit: & si est, cur ita sit, ubi in rem præsentem ventum erit, facile intelligemus. Certè nemo mihi persuaserit, quod vulgò tamen persuasum est, hoc jure planè esse nihili legatum rei alienæ, aut id sensisse Pontificem GREGORIUM III., cujus tamen solius in hoc genere citatur rescriptum. (o) Nam & GREGORIUM I. Jurisconsultis suffragari in hac quæstione, fa-

T 3

cilè

(m) *Cap. sufficiar. XXVII. quest. 2. Cap. nostrates XXX. quest. 5.*

(n) *Cap. 8. Cap. 6. Cap. 19. X. de usur.*

(o) *Cap. 5. X. de testam.*

cilè probabo ex ejus *epistolâ IV. libro. VII. ad Messalinum Episcopum.* Porrò cur Pontifex ALEXANDER III., qui cum Imperatore FRIDERICO I. bellum gerebat, tam fuerit sollicitus de abolendis (p) illis testamentorum solennibus Jure Civili introductis, & duorum, aut trium testium fidem satis esse judicârit, non erit difficile intelligere. Esse autem dicemus id longè tolerabilius, quàm quod postea Pontifex BONIFACIUS VIII., dum legem quandam Romanam, quam malè interpretabatur, sequi se existimat, durissimè statuit, matrem (q) planè excludi per pupillarem substitutionem, suâque etiam legitimâ privari, quæ illi alioqui jure naturæ deberetur ex bonis filii. (r) Postremò quod ajunt hoc Jure Pontificio totam Juris Civilis rationem de pactis nudis, atque stipulationibus subverti, dignum est, quod excutiat. Nihil enim habent, quod eo detorqueant, quam, nescio, cujus ANTIGONI Episcopi in quodam Africano Concilio dictum (s) pacta custodienda esse, & ecclesiasticâ disciplinâ coëcendos esse, qui fidem non servant. At quid, si probem, id tantùm pertinuisse ad cohibendam Punicam perfidiam, neque aliud Episcopum illum, quisquis tandem fuit, spectasse?

Post Capita Canonica Jurisprudentiæ libro decimo nono descendam ad Interpretum nostrorum

(p) Cap. 10. & 11. X. ibidem.

(q) Cap. 1. de testam. in 6.

(r) L. 8. §. 5. π. de inoffi. testamen.

(s) Cap. 1. X. de pactis.

nostrorum
prudent
de nece
ejus aut
pallim
ritas re
Inerea
qui, nec
aequillim
eas regul
ari & po
res Roma
rant, mult
mentos est
terdictis,
Juris, ad
nibus, d
illi tamen
strarum
In aliis Ju
quoque e
corruptor
rantiam,
acutè tam
madverti
ex hypot
res fallat,
in jure det
ur est certè
est, ex uno

(t) L. 20

nostrorum, BARTOLI, BALDI, & similium juris prudentiam, quam cum Romanâ conferre valde necesse est. Illam ipsam esse Romanam, & ejus autores, qui eam commenti sunt, & alios passim multos existimare non ignoro. Sed veritas rerum, erroribus gestorum, non vitatur. Interea fateor hominum esse nec ingenio alioqui, nec judicio carentium commenta, quæ & æquissima plerumque axiomata contineant, & eas regulas, quibus multa in foro rectè dijudicari & possint, & soleant. Certum est eos, qui res Romanas, Prætorésve non satis cognoverant, multa Romanis Jurisconsultis ignota commentos esse de jurisdictione, de judiciis, de interdicitis, de actionibus bonæ fidei, aut stricti Juris, arbitrariis, præjudicialibus, de exceptionibus, de officio judicis, & similibus. Sed quæ illi tamen tradiderunt, ut nunc sunt mores nostrarum forensium actionum, usui esse possunt. In aliis Juris Civilis partibus explicandis sæpe quoque esse lapsos vel propter exemplarium corruptorum vitia, vel linguæ Romanæ ignorantiam, vel alias causas mirum non est. Sed acutè tamen multa vidisse, & prudenter animadvertisse quis negaverit? Porrò quod passim ex hypothésibus theses colligunt, ne quem ea res fallat, magnâ cautione est opus. Si omnis in jure definitio, sive regula (t) periculosa est, ut est certè: minimè profectò tutum semper est, ex uno aliquo hypothetico juris responso

T 4

teme-

(t) L. 202. π. de R. J.

temerè conficere generalem regulam. At certatim id unum præcipuè egisse videntur nostri interpretes, & ut erant in eorum temporum dialecticâ exercitati, nusquam suum magis acumen ostentare conati sunt, studiosè etiam utentes scholasticis sophistarum verbis, barbaris illis quidem, & obscuris, sed quæ tantò admirabiliora magis fore putabant. Hisce (ut nunc quidem vocantur) axiomatibus, quantum sit tribuendam, & studiosè inquirere, & collatis fontibus patefacere, valde est necesse.

Postremò ut intelligamus, quid ex totâ Romanâ Jurisprudentiâ hodie reliquum sit, quod quidem sit in usu, mores, sive consuetudines passim receptas libro vigesimo persequi, & cum suâ origine, suisque causis breviter pertractare, non minùs est necesse. Quid enim pro coronide vel utilius, vel aptius adjungi posset? De contractibus itaque, de hæreditatibus, de judiciis (quibus ego capitibus omnes Juris Civilis partes complector) quæ nunc sint leges usu, tacitòque consensu hominum moribus utentium receptæ, quos habeant autores, & quibus primùm ex fontibus promanent, postremo loco dicendum erit. Dixit ante annos CCCXL. Pontifex HONORIUS III. (u), Franciam non uti legibus Romanis, eoque exemplo, & prætextu Juris Civilis studia in hujus regni academiis minùs coli optabat, tantòque etiam fortè magis id optabat, quod parum illi con-

veni-

(u) Cap. 28. X. de privileg.

veniret
Nos hæ
reamus.
mus nil
rare, qu
res usu
denique
Civili re
& aliis pr
municipio
tantum cap
sunt, & lat
positus) di
usu est.

Dixi
simpliciffi
veluti obi
Civilis, qu
magis præ
eam quiden
esse verecun
in ea ut qui
defidioso fo
tium an d
ris ex illis v
confideratio
persequamur
Janone non
quemododi
utramque ad

(*) Analyfi

veniret cum Imperatore Romano FRIDERICO I. Nos hæc studia Legum Romanarum etsi retineamus, atque etiam religiosè colamus, possumus nihilo minùs suo loco, & ordine considerare, quæ consuetudines invaluerint, qui mores usu recepti sint, & quid tandem spectent, denique quibus potissimùm in rebus, à Jure Civili recessum sit non in Franciâ modò, sed & aliis provinciis Europæ: non ut singulorum municipiorum mores persequamur: sed ea tantùm capita attingamus, quæ & generaliora sunt, & latius patent, illámque (ut vocat POM- PONIUS) disputationem fori, quæ passim in usu est.

Dixi amplissime Domine! & breviter, & simplicissimè argumentum, summáque capita veluti obiter delibavi ejus demonstrationis Juris Civilis, quam meditor, vel certè alios, qui eam magis præstare possent, meditari opto. Atque eam quidem non utilem minùs, quàm suavem esse verecundè profiteri non erubescam: non in eâ ut quisquam suaviter otiosus hæreat, aut desidiosè subsidat: sed ut hanc singularum partium ἀνάλυσιν (*) subsequatur universi corporis ex illis veluti membris compositi prudens consideratio. Nam, ut pro rebus ipsis non persequamur inanes rerum umbras, ut pro Junone non amplexemur objectam nubem, quemadmodum apud Poëtas *Ixion*: necesse est, utramque adhibeamus, quam dixi, cognitio-

T 5

nem

(*) Analysin.

nem, atque ad hanc quidem consequendam & tempus, & diligentiam. Hæc una est ratio, quæ sola potest & totam jurisprudentiam Romanam, qualis revera est, perfectè patefacere, & (quod apud Poëtam Dea pollicetur) illam, quæ nunc obducta tuenti

*Mortales hebetat visus, atque humida circum
Caligat, nubem eripere.*

Neque verò ignoro, hujus operis moles quid requirat. Non esse unius hominis, nedum hujus meæ imbecillitatis, non tam hebesum, ut non intelligam. Si tantum mihi esset ad eam absolvendam facultatis, quantum & profectò vellem, & res tanta postulat: nulla me horum temporum barbaries, ingrata licet, & bonis iniqua studiis: nulla difficultas, laboris magnitudo nulla aut deterrere, aut ab instituto abducere posset. Sed interea tamen, dum alii sua subsidia conferent: facultatem mihi magis, quam voluntatem optimam in hoc genere deesse non dissimulabo, si tantum aliquando mihi detur otii, quod ad scribendum non minùs, quam docendum sit satis. Equidem quoties in auditorium venio docendi causâ: toties mihi videor in iudicium venire, non ingenii solùm, sed & fidei, & virtutis, atque officii: ne aut id profiteri videar, quod non possim implere, quod est impudentiæ: aut id non efficere, quod possim, quod est aut perfidiæ, aut negligentia. Multò verò magis nunc ea nos cura valde angit,

&

& hoc
minùs,
debet,
prum,
musqu
ribus ju
non mi
est igno
nos mul
retardare
cà bene n
prudenciæ
debere ex
mis huma
& suos ho
tis amore
pectation
ingratae
egregii n
sit, molia
ut nihil ex
nihil in lu
Possent stu
& frange
qui supra
creduntur
autoritatis,
bores Reip
nant, vel t
patrocinio
rant. Sed
di languesc

& hoc seculo tam perspicaci, nec fastidioso minùs, quàm perspicaci, vehementer angere debet, cùm in publicum edimus aliquod scriptum, & in hoc veluti theatrum emittimus, damùsque in vulgus, cujus quæ sint de scriptoribus judicia, ut eruditorum quoque aliorum non minùs superba fastidia dissimulem, non est ignotum: Possétque hæc sanè cogitatio bonos multorum conatus vel frangere, vel certè retardare. Sed existimo eos, qui de republicâ bene mereri volunt, & hoc consilio jurisprudentiæ nomen dederunt, tam esse, & esse debere excelso, infractoque animo, ut in præmiis humanis spem non ponant rerum suarum, & suos honestorum studiorum impetus, virtutis amore magis, quàm alicujus honoris expectatione alant. Certè qui barbara indoctæ, ingrataeque multitudinis judicia reformidat: egregii nihil, nihil quod quidem vulgare non sit, molitur, oportet: vel literis ita se abdat, ut nihil ex his ad communem adferre fructum, nihil in lucem, aspectumque proferre velit. Possent studiosorum animos percellere magis, & frangere principes in republicâ viri, si, qui supra vulgus eminent, & quò plus sapere creduntur, tantò potestatis plus habent, atque autoritatis, eruditorum hominum egregios labores Republicæ causâ susceptos vel contemnant, vel fastidiant, quorum & favore, vel patrocínio illi sustineri confirmarique debuerant. Sed in hac tamen tanquam effcætâ mundi languescens senectâ superesse credimus, cùm

cùm Te intuemur, semen aliquod, aliquas nondum emortuas heroicorum ingeniorum reliquias, quibus & cordi fiat, & curæ bonarum artium studia. Videant Professores ipsi, officium ut faciant suum, suoque veluti syncretismo, & optimâ conspiratione hostes suos, barbarosque homines percellant, suarumque literarum dignitatem conjunctis & studiis & animis tueantur. Videmus, quod quidem ad jurisprudentiæ in integrum restituendæ causam attinet, multa adhuc pendere opera interrupta, minasque murorum ingentes, ut Poëta loquitur. Opto itaque, & vehementer quidem opto, ipsos inter se architectos consentire, suasque operas candidè conferre: invidiâ verò nullâ, nullâ morositate distrahi. Id enim nisi fiat: tristiores, quàm antea ruinas, dissipationemque Jurisprudentiæ majorem expectemus, necesse est.

